ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Nobilissime atque Amplissime Vir,

Humanâ flagitatione atque efflictissimo desiderio Nobilissimi Iuvenis I. ab Einsiedel, cognati mei et amici primarij, permotus consiliũ scribendi arripui, adeoque honorificam necessitatem injungi mihi passus sum compellandi, aut verius, sollicitandi tui. Dedi hoc, inquam, ei, quicum inde usque à parvulo õia mihi intercessere: idem natale solũ, idem eademque communis cui nos innasci pariter et innutriri natura voluit, adultũ insuper ac perpetuostũ haud vulgaris amicitia jus fecus; quibus vinculis, (alia n. omitto) tam arcte illi innexus sum, uti pauxillũ hoc operæ amicissimo juveni denegare, in magni parte flagitij reputẽ. Voluit is igitur, ut quam ad te dedit epistolã, per me tibi quam ocyus curaretur; imò id ipsũ, quo impetraret, quæstissimis precibus modestiã nostram ursit adeoque pervicit. Morem itaque nunc gero tam sollicite id roganti. Totũ negociũ, quod in quo causæ cardo vertitur, quantũquantũ est, ex ipsius literis, quas eã de re perscriptas una mitto, melius, ni fallor, quam ex interpretatione nostra pernosces. Geminum ab Illustriss. Principe et Ordinibus Hollãdiæ diploma petit; quod publica auctoritate vallatum, tutũ per has Provincias commeatũ ei præstet. Quæ res ne voto diutius, scribarũ maximè incuria, quod fieri interim amat sufflaminetur, et ipsius permagni interest, et tua apprime providentia curari potest. Quantũ verò cuique utriusque nomine pecunia debebitur, spondeo atque recipio, ab homine nec facultatum neque fidei fluxo, ubi primum has oras attigerit, morâ nulla solutũ iri; meamque adeò fidem eam in rem obstringo, ut si quid secus acciderit id meo capiti esse non recusem. Quod si peregrini hominis, nec ullo ante hunc diẽ commercio tibi cogniti fidem in dubiũ vocas; Ecce jam nũc ex animi sententia polliceor, me, quicquid tandem hujus futurũ est, perinde ac meũ debitũ optima fide præstare paratũ esse. Te oro atque obtestor, Nobilissimi juvenis desideriũ, humanitate tua subnixũ, pro virili parte adjutũ ire ne defugias; id quod pluribus te rogarem, nisi compertissimam haberem naturæ tuæ indolem, sponte sua huc proclivẽ, amicas preces haud exposcere. Nihil addo, extra quam ut tibi me habere velis quam commendatissimum. Olim virtutũ tuarũ, quæ laude ac meritis seculi invidiã supergressæ sunt, permagna me incessit admiratio, quæ mirũ quantũ invaluerit, hoc beneficio suffulta, quo fuge credas, majus ullũ in præsentiarũ huic homini abs te præstari posse.

Dabam Leydæ ex ædibus viduæ Herci, v. Kal. Iul. Ao. cIↄ Iↄ cXXX.

Maximus seculi vir D. Heinsius, (cujus divinas supraque exemplũ dotes cum unicè venerer, tum amicitiam quibuscunque possũ officiis prolicere ac demereri non desino) Hagæ nuperrimè fuit, sed te insalutato discessit; quo nomine sese cãdori tuo apprimè excusatũ cupit, imò serio postulat.

Nomina commeantiũ diplomati Nominis ac dignitatis Tuæ
in hæc verba inserantor.

j. Vn Passeport de six mois
Pour Innocens d'Einsiedel, Vasall de l'Electeur de Saxen, son Gouverneur, deux serviteurs et leurs payage, pour passer et repasser par eau et par terre.

2. Vn Passeport de six mois
Pour Martin. Henry de Schulenburg, Vasall de l'Electeur de Saxen, son Gouverneur, deux serviteurs et leurs payage, pour passer etc.

Studiosissimus
Henricus à Friesen Sax.

Hug. 37.

A Monſieur
Monſieur Conſtantin Hugens,
Conſeillier Secretaire de
ſon Excellence

à la Haye

[illegible]

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Friesen_H) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/516